...s iuveni
...i – oblatum

Calissii 1625.

SERTVM GLORIÆ

Optimo iuueni

D. IOANNI CASIMIRO DAROWSKI
DVM THESES PHYSICAS
SVIS COMMILITONIBVS
METAPHYSICIS
Inscriptas & dedicatas
In Collegio Calissiensi Societatis IESV
propugnaret
Ab iisdem Metaphysicis
amoris ergo

Oblatum.

CALISSII. Ex Officina Alberti Gedelii.
Anno Dni. 1625.

PRæmia virtutis & officia sancta & casta esse oportet: neque ea aut cum improbis communicare, aut in mediocribus hominibus promulgari.

Cicero lib: 2. Rhet:

SAPIENTIÆ DAROVIANÆ

Omni lapide precioso preciosiori
è lapidibus preciosis
A SVIS COMMILITONIBVS
Sapientiæ alumnis
concinnatum.

Pallas Lectori.

Virtutem virtute volo celebrare, quid hæres?
Sola, satis, virtus se celebrare potest.
Virtutes lapidum vis noscere? subtrahe gressum,
Inque meo clausas suspice Darouio.

SARDIVS.

Sardius exacuit mentem, feruore cientur
Darouii socii, Sardius ille Scholæ.

R. P F. Bernardus Grodeski Ord. Cist.

Antuus, iste, tuam respice reddat, onyx.

R, P. Bernardus Bochenski.

SAPPHIRVS.

Vincula non patitur: patitur non vincula noster
Mundi, sed si vis Christe ligare, liga.

F. Iacobus Piotrowicz Ord. D. Benedict,

DIONYSIA.

Spargis aquas? vinum spirat Dionysia: tentas?
E Cypro botrum spirat, at iste, DEVM.

F. Stephanus Kobierzyck Ord. D. Bened.

ENIDROS.

Fletibus assiduis lachrymas distillat Enidros.
Ecce sitit Christus, fle malefacta, bibet.

F. Lucas Iaklewicz Ord. Cister.

ACHATES.

NON grato, faciet gratum sociatus, Achates
Hocnè tuis socius, noster Achate, negas?

R. D. Wladislaus Szotdrski.

Hyacin-

HYACINTHVS.

DEsine iam similis cœlis Hyacinthe videri,
Cœlicolis similis, iam meus, eſse cupit.

R. D. Balthaſar Czyzewski.

SMARAGDVS.

PIngitur oppoſtum quiduis viridante Smaragdo,
Exemplo ſocios, pinge, Smaragdus eris.

R. D. Iacobus Borkowski.

CHRYSOLITVS.

CHryſoliti faciunt hilares, hilareſcere Diuos
Virtus non faciet ſi tua? quæ faciet?

R. D. Nicolaus Lipski.

BERILLVS.

LVcet & irarum componit bella Berillus,
Mitis es? hac iras luce, Berille, fuga.

D. Ioannes Strasz.

CERAMVS.

SI Ceramus præſto eſt, iaculetur fulmina cœlum,
Nil facit, at tibi mens ſi bona, quid faciet?

D. Franciſcus Liſiecki.

DAR.

DAr micat ad mensas, mensam proponit IESVS,
Si celer accedis, ductus amore: micas.

D. Alexander Grabinski.

IASPIS.

HInc procul esto Venus, lapis hic te sustinet ægrè,
Virgineus iuuenis te fugat, esto procul.

D. Stiborius Krzykowski.

MELLOCTRES.

MEl dat Melloctres, quid pastus melle Ioannes?
Melleus est totus, mel cui Christe sapis.

D. Ioannes Iurecki.

AMETHISTVS.

MEntor adest: promptum te das Amethiste labori.
Christus adest: sculpat, promptior iste lapis.

D. Albertus Przespolewski.

LIPAREA.

TVtatur Liparea feras: quo Cerbere pergis?
Quos sequeris, iuuenis, subtrahet iste tibi.

D. Martinus Sadowic.

Asbeston.

ASBESTON.

GAudeat Asbesto Dea Cypri: nonne Mariæ
Clarior Asbeston, ignis amoris erit?

D. Andreas Mnißek.

CARBVNCVLVS.

NOcte suos ignes vibrat Carbunculus, igne
Quo caleas, mortis tu quoq; nocte, proba.

D. Ioannes Sapalecki.

ASTERION.

STellis se similat; maris adsis stella Maria,
Moribus efformat te tuus Asterion.

D. Ioannes Stupcensis.

IENNA.

TVllius est, linguæ quisquis supponit Iennam:
Te quisquis loquitur, Tullius esse velit.

D. Iacobus Tribuch.

MYRTIS.

MYrtum myrtis olet, Mariam Mariana propago,
Myrtus es ô IESV, te quoq; myrtis olet.

D. Gregorius Zawacki.

Asterida.

ASTERIDA.

ASterida estne tuo flammescens stellula centro?
Stellarum Dominam fert meus Asterida.

D. Fabianus Bierzgiewicz.

MELOCHITVS.

MElochitus cunas tutatur: corde quiescis
IESV? istis cunis semper adesse cupit.

D. Albertus Hilarius.

CALCEDONIVS.

NAscitur è pluuiis, pluuiam cognosce parentem,
Dum paris hos lapides, de cruce, Christe, pluis.

D. Stephanus Vartensis.

SOLIX.

SOlix Sol paruus, magnus decurrit Olympum,
Huic paruo socii sint quoq; Zodiacus

D. Martinus Sietlicius.

GAGATES.

ATtrahit hic paleas, mendicos attrahit iste,
Sunt paleæ: sed cum his, te quoq; Christe, trahit.

D. Albertus Rakouius.

Adamas.

Non suggrundiis obliteis, vanare, aut lacire tymbanotribas, caluitareq; muricidos, hic mentis est, nec escit: sed litterosiorem, loebesiorem, ingenuatiorem, irquitallum Sarmaticum, Curitibus, multesimo antipede dignum, non decalicatis rudis, verùm tropæo insolo, & Adamantæo elucificare, & amplanare, theasitas gnaritū amiciter vostit. Betere vls obigitas? cōcisso: verùm dapticū, cluentē, manū aliquotfariā, irquitallū, pagatiatissimis luculētitatibus optimitarū, à Minerua patagiatū, fortū, hortumq; famino. uō facissis? si truo adpedasti, petrullus tuatim suas.

ÆVITERNVM OPTVMO AMICO IOANNI CASIMIRO DAROWSKI, AMICVS FRANCISCVS LISIECKI OSCE NON OSCVS ÆVITERNO HOC IN ADAMANTE INCIDIT MONVMENTVM.

SERTVM II.

VIRTVTI DAROVIANÆ

Omni vere vernantiori

è floribus floridis

A SVIS COMMILITONIBVS

Metaphysicæ alumnis

contextum.

Virtus Lectori.

NON oculis videor, non auribus audior vlli,
Noscere nec tactu me, nec odore potes.
Angeris, & quæ sim studiose scire, peroptas,
Cernere me si vis, cernito Darouium.

GRANADILLVS.

PVlchrior in nostro flores Granadille Lycæo,
Non foliis Christi stigmata, corde geris.

R. P F. Bernardus Grodeski Ord. Cist.

Peristere-

PERISTEREON.

POsce Peristereon si præsto est, nulla negantur:
Ne tibi quid IESVS deneget, adsit amor.

R. P. Bernardus Bochenski.

SIDERION.

VVlnera Siderion non fert, vis ferre scelestum?
Vulnus is est, fies quomodo Siderion?

F. Iacobus Piotrowicz Ord. D. Benedic.

LIBANOTIS.

VEr semper fingit grato Libanota virore,
Si placet, en noster, collige Christe; viret.

F. Stephanus Kobierzycki Ord. D. Bened.

TYMBRA.

NOn sic mellilegæ placet vnquam tymbra phalangi,
Vt tua spectanti vita modesta placet.

F. Lucas Iaklewicz Ord. Cister.

HELIOTROPION.

TItanis currus sequitur: quid noster amantis
Aduertas gressus, dum cruce, Christe, præis.

R. D. Wladislaus Szotdrski.

ANACAMPSEROS.

A Te vix revocas abeuntem Anacampsere, verum
Ne Christum revocet, noster, abire vetat.

R. D. Balthasar Czyzewski.

DENDROIDES.

IN petris vernat: petra vernare peroptas?
Effossi lateris suspice Petra patet.

R. D. Iacobus Borkowski.

AMARACVS.

INduis invitus florem quid Amarace? noster
Dum IESVM florem conspicit esse cupit.

R. D. Nicolaus Lipski.

MELILOTON.

QVis Meliloton amet? quis non amet aurea verba?
Melleus est hic flos, mellea verba magis.

D. Ioannes Odrowas Sirdsz.

OENANTE.

SYluestrem vitem decoras Oenante: Mariæ
Perpetuum noster, vitis & illa, decus.

D. Franciscus Lisiecki.

Verbe-

VERBENA.

PAsceris ambrosiâ, Iouis es Verbena ministra,
Ad mensam domini pascitur, iste Deo.

D. Alexander Grabinski.

IRIS.

TV gladios folius, at noster fulmina fingit,
Pro virtute gerit prælia fulmineus.

D. Stiborius Krzykowski.

CARIOPHYLLVM.

CLauo se similat, Mariam si dixero nauim,
Nonne huius nauis, coniice, clauus eris.

D. Ioannes Iurecki.

ZOOPHTALMOS.

GErminat in tectis, terris ne crescito noster,
Flore tuo virtus, vult decorare, polum.

D. Albertus Przespolewski.

HYACINTHVS.

AIacis se non Hyacinthus prædicet ortu,
Exoritur noster sanguine Christe tuo.

D. Martinus Sadowicz.

ERICE.

BRuma licet flores spoliet, se seruat Erice,
Mille cadunt alii crimine, tunè cades?

D. Andreas Mnißek.

VIOLA.

IN ferrugineo violas quis temnet amictu?
Cor tibi demissum, temnere quis poterit?

D. Ioannes Sapiecki.

NARCISSVS.

NArcissus, moritur, dum se se spectat in vndis,
Sæpius at teipsum, ne moriare, vide.

D. Ioannes Stupcensis.

FLABIA.

TE sibi conciliat si tangas Flabia, vitam
Darouii prensas te sibi conciliat.

D. Iacobus Tribuch.

ROSA.

PInge cruore rosas, nam è spinis carpis Adoni,
Christe tuam pingis, cur? quia carpo Styge.

D. Gregorius Zwacki.

Lilium

LILIVM.

Lilia quis dicet Iunonis lacte profecta?
Te Mariæ natum nullus at esse negat.

D. Fabianus Bierzgiewicz.

ERIGERON.

ERigeron vetulus toto se vere senescit,
At noster tantùm moribus Erigeron.

D. Albertus Hilarius.

NARDVS.

SErpit humi nardus, nostram vis cernere nardum?
Serpit humi, quoties cogitat, an sit humus.

D. Stephanus Vartensis.

PVRPVRA.

PVrpureis gaudet foliis: vis purpura dici,
Virgineus semper purpuret, ora, pudor.

D. Martinus Sietlicius.

RVTA.

RVta acuit visum, quid pauper? punctus in orbe,
Illum tu videas, si bene Ruta facit.

D. Albertus Rakouius.

Cedrus.

Non
Rosis,
Nec ægris
Ad hoc opus
Amaracis, nec
Rubente purpura,
Coloßus hic superbit:
Nec albicante lilio.
Cedro notare cedrinũ mẽs
Mihi est ephebũ, in arduũ, sui
Amore, quẽ, imbuẽs beata virtus
Trahit. fugare criminũ docẽs ducẽ,
Cedro cedrũ dedi: facessat inuidus hinc.
Quid inuides? habere quod, Vacerra, nõ potes.
Cedrũ cedro dedi: omnib. bonis cedrus Darowski est
Meus, viator hoc videns, mirare, prædica, Vale.

IMMORTALEM CEDRVM IMMORTALI MEMORIÆ IOANNI CASIMIRO DAROWSKI IMMORTALIS AMORIS SYMBOLON POSVIT
NICOLAVS LIPSKI.